

tamen male conversam Atilii mihi legendam putem; de quo Licinius:

Férreum scriptórem: verum, opínor, scriptorém tamen, út legendus sit.

Rudem enim esse omnino in nostris poetis, aut inertissimæ segnitiae est, aut fastidii delicatissimi. Mihi quidem nulli satis eruditi videntur, quibus nostra ignota sunt. An,

Utinám ne in nemore, . . .

nihilominus legimus, quam hoc idem Græcum; quæ autem de bene beateque vivendo a Platone disputata sunt, hæc explicari non placebit Latine? Quod si nos non interpretum fungimur munere, sed tuemur ea, quæ dicta sunt ab iis, quos probamus, ejusque nostrum judicium et nostrum scribendi ordinem adjungimus; quid habent, cur Græca anteponant iis, quæ et splendide dicta sint, neque sint conversa de Græcis? Nam si dicent, ab illis has res esse tractatas; ne ipsos quidem Græcos est cur tam multos legant, quam legendi sunt. Quid enim est a Chrysippo prætermissum in Stoicis? Legimus tamen Diogenem, Antipatrum, Mnesarchum, Panætium, multos alios, in primisque familiarem nostrum Posidonium. Quid? Theophrastus mediocriterne delectat, quum tractat locos ab Aristotele ante tractatos? Quid? Epicurei num desistunt de iisdem, de quibus et ab Epicuro scriptum est et ab antiquis, ad arbitrium suum scribere? Quod si Græci leguntur a Græcis, iisdem de rebus alia ratione compositis; quid est, cur nostri a nostris non legantur? III. Quamquam si plane sic verterem Platonem aut Aristotelem, ut verterunt nostri poetæ fabulas; male, credo, mererer de meis civibus, si ad eorum cognitionem divina illa ingenia transferrem! Sed id neque feci

Atilii) *Acilii* E *Aulii* LPMR tamen ut) ut inde C nulli)
illi LP An) *At* ELPC ac R nemore) L addit *Pelio* quæ)
qui E 6. iis) *his* E judicium) officium C et nostrum
scribendi) *nostrumque dicendi* L dicta sint) *dicta sunt* LP
dicent) *dicerent* LMPCR Panætium) om. C Theophrastus)
Theophrastum EMPCR num) non L nam C quibus et)
quibus LM 7. plane) *plane se* E male) *mal* E mererer)
meretur E ingenia transf.) *tr. ing.* M (*ingenita*) E